C. I. 17. Septembr. 1566 47

VOTA ET MOTIVA SENTENTIÆ LATÆ IN PROCESSV IN CVRIA DOMINI IVSTITIÆ ARAGONVM vertente, intitulato Processus Ioannis Pallares, necnon Domnæ Esperantiæ Diez de Aux, super iurisfirma grauaminum.

DIE DECIMO septimo mensis Septembris anno M.D.Lxxxvj. Eadem die, in Camera Consilij curiæ Dñi Iustitiæ Aragonum, fuerunt præsentes admodum Illustris Dominus Iustitia Aragonum, & domini Locumteñ. sequentes.

Admodum Illustris Don Ioannes de la Nuza Iustitia Aragonum.

Dominus Hie. Chalez, Dominus M. Baptista dela Nuza, Dominus F. Torralua Locumteñ. ordinarij.

Dominus F. Pozuelo, & Dominus F. Dominguez Locumteñ. extraordinarij, in infra intitulato processu.

Eadem die in processu Ioannis Pallares, necnon domnæ Sperantiæ Diez de Aux, sup. iurisfirma, Dominus F. Dominguez Locumteñ. extraordinarius, &c. fuit voti, quod debet pronuntiari iurisfirmã, obtentam, & præsentatam pro parte Domnę Esperantiæ Diez de Aux & Entença prin. M. de la Naja proc. fore, & esse reijciendam, & repellendam, eamque reijci, & repelli debere, quoad omnia grauamina in cedula, grauaminum pro eius parte oblata, deducta, & articulata, neutram partium in expensis condemnando.

Ex eo pręsertim, & aliàs, quia non constat de aliquo grauamine illato per iudicem aquo, quia existente Domna Isabela Diez de Aux, domina & possessora dictorum bonorum apprehensorum. Illa post suam, & suorum filiorum

 & des-

& descendentium mortem vendidit Petro de Altarriba; & post mortem dicti Petri, Francisco de Altarriba eius filio, pro precio in dicta venditione contento, atque mortuo dicto Petro, ei deinde dicta domna Isabela Diez de Aux, relicto Don Ludouico de Heredia, eius filio, nullisque alijs descendentibus relictis postremo dictus Don Ludouicus mortuus est, per cuius mortem dies, & casus dictę venditionis cessit, & verificatus fuit in dicto Francisco de Altarriba, & dictorum bonorum fuit effectus verus dominus, & proinde ius succedendi ab intestato, quod prętendit domna Esperança Diez, tanquam propinquior consanguinea dicti Don Ludouici ex illa parte, vnde bona descendunt euanescit, & cessat, & proinde, dictum Don Franciscum dictorum bonorum plenum, & verum dominum censemus.

Euasio ad recognoscimentum.

NEQVE OBSTAT, recognoscimentum per dictū Petrum de Altarriba, in fauorem dictæ domnæ Elisabetæ cōcessum, quia si dicti instrumenti recognoscimenti verba rectè, & mature perpendantur, apertè intelligimus Petrum recognoscentem, seu cōfitentem de suo tantum iure locutum fuisse, nec iuri Don Francisci quicquam pręiudicasse. Nam quamuis venditionis instrumentum vnicum esset, plura tamen & diuersa iura ad diuersas personas expectantia continebat, ita vt ius Petri longè diuersum, & distinctum esset a iure Francisci, & eius successorum iudicemus apertè, siquidem pręadicta Isabela Diez de Aux, in dicta venditione voluit iura partium distinguere, & seggregare diuersis causis, diuersisque finibus, vt in Petrum de Altarriba solum amorem, atque affinitatis affectionē, quę cum sua persona peritura erat, considerare videretur, at verò in Francisco non solum amorem, sed consanguinitatis vrgentē causam contemplata est, cum eum sepè *sobrino mio* appellauit. Tum etiam, & filios eiusdem, & descendentes legitimos expresserit. Cum ergo modo pręadicto diuersisque causis Petri, & Francisci iura distincta sint, proculdubio colligemus recognitionē, per dictum Petrum, de iure suo factam ad euellenda, & pręiudican-

iudican-

iudicanda Francisci, & suorum descendentium, iura trahenda non esse, locutus enim fuit Petrus de iure suo restrictiuè, & limitatiuè, & non de iure Francisci, vt ex illis verbis toties repetitis: *La vēdicion à mi hecha, el drecho à mi adquirido*, satis claré deprehenditur. Nec obstant illa dicti recognoscimenti, verba: *Quiero, y expressamente consiento, que la dicha, y precalendada vendicion, &c. en la nota original do està continuada, ser legitimamente por el Notario de aquella testificante, ò otro successor en sus notas, cancellada, borrada, &c. en tal manera, que en juyzio, ni fuera de aquel, fè alguna*, & alia similia verba, quę cum sint executiua non ita intelligi possunt, vt alicuius iuris attributiua censeantur, sed superiorum tantum declaratiua, atque ita, nec latiora, nec ampliora superioribus, sed ad eorum metas accipienda, nec aliàs contradictionem, seu correctionem inducere dicatur.

Minus obstat dicere, contractus venditionis in fauorem Don Francisci factæ ętatis defectum consistere non posse, cùm in Regno dubium non sit Notarij stipulatione in alterius cuiusuis infantis, & absentis actionem quęri, ac insuper Don Francisco nocere non potest patris confessio de precio non soluto, cum in Regno cartæ standum sit, in qua venditrix de precio recepto confessionem fecerit, cui standum est, quàm Petro neganti in præiuditium Francisci pręsertim cum Petrus de precio non recepto pro venditione, sibi factâ loquitur, non verò de precio venditionis factæ Francisco, imo potuit venditrix precium Francisci accepto ferre. Neq. præterea vrgent illa venditionis verba: *Y a quien vos, y ellos mas querreys, &c.* respectiuè quibus facultas videtur Petro, concessa alienandi in præiuditium Francisci, & suorum descēdentium. Nam verbum *Respectiuè*, omnem voluit dubitationem tollere, per quod venditrix singulis emptoribus respectu suorum iurium, tantum eam alienandi facultatem tribuere videtur, & si alias intelligamus, absurdam interpretationem, & contra naturam actus, & mate-

Etiam infanti in hoc Regno actio quæritur.

Verbum respectiuè tollit dubitationē.

 riam

riam ſubiectam, & mentem denique venditricis Franciſci ſucceſſorem contemplantis admitamus.

Circa conditionẽ ſoluendorum cenſualiũ.

Nec tandem vrgent, quæ in contrarium aduerſus dictum inſtrumentum venditionis, ex eiuſdem verbis adducuntur, quo loco ipſa Iſabela videtur aſtringere Petrum, aut Franciſcum, aut filios, & deſcendentes eiuſdem Franciſci, ad ſolutionem quorundam cenſualium, & penſionum impoſitorum per Martinos Diez de Aux, eius patrem, & fratrem nitentes ex his probare, quod cum contractus fuerit conditionalis, tam ob defectũ conditionis, quàm quod ipſa loco precij ſubrrogatur, venditionem ipſam robur aliquod obtinere, aut vires porrigere in fauorem dicti Franciſci, minimè poſſe, ſit quæ cõditionẽ ipſam loco precij eſſe, & ipſius partem reputari, vnde eo non ſoluto, nec dominium, nec poſſeſsio transferri aliquo modo in Frãciſcum emptorem, potuerunt, non enim conſtat dicta cenſualia per dictos Martinos impoſsita, nec pẽſiones eorundem ſolutas fuiſſe, quia præterquam de ſolutione precij per confeſsionem dictæ venditricis conſtat, qua ſtante mediante dicta venditione inſtrumentaliter facta, dominium, atq. poſſeſsio in dictum Franciſcum de foro tranſlata cenſentur, non quidem in proceſſu conſtat liquidè de hijs, quæ neceſſaria erant ad verificationem prædictorum, eaque etiam cenſualia ab eadem domna Speranza impugnata reperiuntur, nec eoſdem emptores dicta venditrix ita voluit grauare, & officere, vt ſtatim poſt dictam venditionem tenerentur, ſed tunc demum cum vniuſcuiuſque vocationis, aut venditionis caſus euenerit, quod ſanè deprehenditur, ex illis verbis disiunctiuè prolatis ab eadem venditrice: *Que vos dicho cõprador, ò Franciſco de Altarriba fijo vueſtro, ò ſus fijos, &c.* ſufficit, enim quod alter eorum prædicta ad impleuerit cum modus ille nõ loco precij adiectus cenſeatur, ſed vti onus, atq. grauamen, quibus eoſdem emptores reſpectiuè ſuis temporibus aſtringere voluit, non autem cõditionem impoſſuit; Nitebatur equidem illo caſu proſpicere animarum ſaluti dictorum

Cenſualia per D. Sperantiã impugnata.

Modus ille non loco precij, ſed vti onus, &c.

ctorum patris,& fratris,qui dicta censualia sub bonis vinculatis, ac fideicommisso suppositis impossuerunt, quo vinculo iam in eius persona extincto,atq.finito, & de medio sublato eosdem emptores ad solutionem proprietatis, & pensionum teneri voluit, vt sic quæstio validitatis, & inualiditatis minimè suscitaretur.

Nec obesse prędictis aliquo modo potest, quod dictus Franciscus hęres,ac successor Petri de Altarriba,fuerit,& sit ipse comprehensus sub verbis dicti recognoscimenti: *Por mi,y los mios herederos,presentes,absentes,y aduenideros*,vt sic dispositionem paternam infringere,inuertere,aut mutare aliquo modo posit, nec contra eius factum venire, quoniam si rectè,& congruenter ea verba intueamur, ac præmissum instrumentū,& eius verba consideremus nunquam Petrus de iure Francisci locutus fuit, nec de eo cogitatur, sed tantum iura sua cedere, & transferre nitebatur, quo fit vt ipse Franciscus in vim dictæ venditionis meritò, ex iure suo non extincto,cesso,simulato,nec de medio sublato petere huiusmodi bona posit,cum eo casu,nec factum difuncti impugnetur,nec illud Franciscus euertere,aut infringere censeatur cum iura sua sub dicta cesione, aut simulationis confesione minimè comprehendatur.

Neq. obest quod Franciscus fuerit hæres principalis.

Quibus omnibus diligenter perpensis, ac mature consideratis,iam ius dicti Francisci sufficiens est ad obtinendum in hoc articulo, in quo de legitimo eius titulo constat, de quo dubitari non licet, nec exaduerso inficitur aliquo alio legitimo titulo, de quo in hoc articulo ratio haberi posit, quare ex his, & alijs ex processu resultantibus, ita pronuntiandum fore censemus,& aliàs, &c.

Qui silicet domini Hie. Chalez, M. Baptista de la Nuza, F.Torralua Locumtenentes ordinarij, & dominus FranciscusPozuelo,Locumteñ.extraordinarius in dicto processu, quamuis sub diuersis diebus,fuerunt voti,& opinionis dominus Francisci Dominguez Locumteñ.extraordinarij ex eisdem motiuis,&c.

S IG-

SIG✠NUM mei Ioannis de Mendibe, habitatoris Ciuitatis Cæsaraugustæ, auctoritatibusq; Apostolica, vbiq; Regia vero per Aragonum, & Valentiæ Regna publici Notarij, Regentisque principalis quãdam ex Scriuanijs Curiæ Dñi Iustitiæ Aragonum, ac Secretarij Consilij eiusdem Curiæ, qui huiusmodi vota & motiua à suo originali libro consilij dictæ Curiæ, de anno millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, manu aliena extraxi, & cũ dicto suo originali libro bene, & fideliter comprobaui, in quorum fidem hic me subcripsi, &c.